

L. S.

Peerlkampius, cuius hoc volumine tibi offeruntur Orationes et Carmina, quis qualisque vir fuerit, nemini nisi bonarum literarum imperito ac plane rudi ignotum esse potest; ita ut non necesse arbitremur multis de eo dicere. Natus Groningae seculo superiore ad finem vergente, perceptis in Gymnasio urbano linguarum Latinae et Graecae elementis, Academica institutione vix biennium usus, septimo decimo aetatis anno Scholae Harlemensis praeceptor, mox Doccumensis ac duodecimo anno post Harlemensis rector, anno huius seculi vigesimo secundo Borgeri in Academia Leidensi successor, per viginti septem annos professorio munere functus, reliquam vitae partem in otio privato Hilversumi transegit, ubi senio confectus fere octogenarius obiit anno 1865 mensis Martii die 28.

Ut erat homo antiqui moris, candidus ac simplex, brevem vitae ipse suae delineationem conscripsit in usum Rectoris Magnifici, cui lege academica ipsi parentandi officium impositum foret. Magistratu decedens Vir Cl. Van Boneval Faure, d. viii Februarii 1866, inter anni sui fata academiae prospera et adversa retulit quae sequuntur:

»Non venit Peerlkampio mors inexpectata. Ante biennium senex eximius dedit ad Rectorem Magnif., veterem discipulum et fidelem amicum, breves, ut solebat, literulas et concisas in hanc sententiam: »Sentio mihi mortem instare, quam quieto et placido animo exspecto. Tuum erit de me rebusque meis pauca publice referre. Dabo quod referas." Et in schedula haec adscripserat, quae veluti ex ipsius ore audite:

»*Petrus Hofman Peerlkamp*, natus Groningae d. 2 Februarii 1786 patre *Rudolpho*, Praeceptore in Gymnasio urbano, matre *Henrica Veenhorst*.

»13 Augusti 1801 in Album Academiae relatus, mense Augusto 1803 Harlemum vocatus munus Praeceptoris annum gessit;

»ab anno 1804 munus Rectoris Doccumi in Frisiis;

»anno 1816 successit cl. *I. Ten Brink* Rectori Gymnasii Harle-
mensis.

»Inde anno 1822 Leidam in Facultatem Phil. Theor. et Litt. Hum. vocatus, morbo correptus, qui omnem animi intentionem vetabat, anno 1849 muneri renuntiare coactus est.

»Coelum salubre et ruris Hilversumensis amoenitas valetudinem restituit; adeo ut extremam vitae partem in redigendis annotationibus, per multas veterum scriptorum editiones sparsis, transigere potuerit. Obiit....”

In hoc verbo desierat et *Cobeto* scripsit: »hunc tibi ultimum diem meum explendum relinquo.”

Explevit Cobeti in Rectoratu successor Faurius: d. 28 Martii 1865.

Quae in nuda ac simplici hac praecipuorum vitae momentorum notatione desiderantur, partim ipse tradidit Peerlkampius pluribus scriptorum locis, cum in Praefatione ad Xenophontem Ephesium a se editum, tum in praemissa Horatii Carminum libris Epistola ad Virum amplissimum Collotum d’Eseurium, tum denique in Satirarum eiusdem poetae recensione Abrahami Vriesii memoriae dicata; partim explevit postumi opusculi editor Vir Cl. I. C. G. Boot, cui Peerlkampius ultimam Propertii elegiam, critice tractatam et illustratam, typis exprimendam reliquerat, quique in Praefatione lectu digna de viri vita, moribus, scriptis narravit nonnulla, quae partim e libris editis, partim ex epistolis ineditis et familiarium sermonibus didicisse se ait; ampliorem de illis rebus narrationem cupide exspectans ab aliquo eorum, qui plures per annos familiarissime cum eo vixerint. — Neque negligenda sunt quae de Peerlkampio retulit Lucianus Muller in Annalibus Philologiae classicae (*Jahrbücher für classische Philologie*, 1863, N^o. 22, p. 171—186) de congressu suo cum eo; ac brevi post viri obitum, in Diario Coloniensi (*Kölnische Zeitung*) d. 6 Aprilis a. 1865, N^o. 95, p. 3, et pluribus deinde locis in Historia Philologiae Batavae (*Geschichte der klassischen Philologie in den Niederlanden*) Lipsiae edita a. 1869.

Quid consilii in colligendis ac denuo edendis his opusculis secuti

simus, breviter exponendum videtur. Quo magis enim nostris temporibus in desuetudinem abire pergit Latinae linguae usus cum in docendo tum in scribendo, ita ut vel ipsi antiquarum literarum professores, neglecto maiorum more nil nisi Latine tradendi, scholis habendis praeferant patrium sermonem; eo magis cavendum existimavimus — dummodo saltem caveri adhuc queat — ne malum illud latius serperet. Quumque ad finem usque vitae Peerlkampius exemplo suo avitam Latine scribendi laudem strenue vindicasset, non tantum in soluta, verum etiam in ligata oratione; quae autem in utroque genere praestitisset, partim seorsum edita partim in aliis operibus sparsa, vix amplius paratu facilia essent, operae pretium nos facturos putavimus, si Orationes eius et Carmina singulari volumine coniunctim exhiberemus atque in exemplum bene eleganterque Latine scribendi hominibus nostris proponeremus. Suam enim sibi habebat Peerlkampius Latinitatem, puram illam et exquisitam, acute dictis ac sententiarum luminibus distinctam, ad exemplum optimorum scriptorum, non adeo Ciceronis, quam potius historicorum, Nepotis, Sallustii ac Taciti potissimum similitudinem conformatam; quumque in poetarum Latinorum omnis aevi lectione ac studio vitae sibi veluti tabernaculum collocasset, ipse poeticae facultatis specimina prodidit non tam multa quidem, sed quae ad veterum praestantiam proxime accederent.

Quae temporis ordine primum locum occupat *Oratio de Xenophonte Ephesio*, eam habuit Peerlkampius, Rector Gymnasii Doccumensis, ediditque Harlemi, apud Adr. Loosjes a. 1806, accedente in eundem scriptorem Observationum criticarum specimine. Hanc, utpote leviolem opellam, ipse sine dubio nunquam recudendam curasset: attamen oblivioni tradere noluimus, suppresso tantum specimine critico, quod neque ad oratorium genus pertinebat, et post Ephesiorum editionem a. 1818 novitatis gratiam amiserat.

Quanta cum laude suo tempore exceptum fuerit hoc iuvenile doctrinae et industriae specimen, quantamque expectationem de scriptore suo excitaverit, videri potest in Annalibus literarum et artium Regni Hollandici, publica auctoritate in lucem emissis ¹⁾.

1) *Jaarboeken der Wetenschappen en Kunsten in het Koninkrijk Holland, Eerste deel over 1806. Amst. en Den Haag, 1809. bladz. 197—207.*

Quae sequitur Oratio *de vita Eliae Annaei filii Borgeri*, quo die Peerlkampio dicendi vices erant, habita in consessu Classis tertiae Instituti quondam Regii Amstelodamensis, atque edita in *Commen-tationum Latinarum* Vol. III, eam affirmare non veremur, etiam post funebrem Borgeri laudationem a Palmio habitam ¹⁾, aliasque in memoriam eius prolatas scriptiones, haud pauca complecti scitu digna et Borgero honorifica.

Tertia est Oratio auspicandae professioni historiarum et literarum humaniorum in Academia Leidensi. Quemadmodum autem Borgerus, cuius in locum succedebat, *de Historiae doctore Providentiae divinae administro* dixerat, similiter Peerlkampius *de praecipua lege Provi-dentiae divinae ab historico doctore observanda* sibi dicendum existi-mavit. Edita est in *Annalibus Academiae* anni 1822--1823.

Sequitur Oratio *auspicandis lectionibus*, mense Octobri 1831, habita ad cives academicos, inprimis eos, qui superiore anno pro patriae defensione arma ceperant, quum e castris reduces ad Musarum cul-tum redirent. Separatim prodiit eo ipso anno apud H. W. Hazen-berg iuniorem. Huc pertinent quae de Civium Academiae Leidensis expeditionibus militaribus tradita sunt cum ab aliis ²⁾, tum ab ipso Peerlkampio in Annotatione ad Orationem suam Rectoralem a. 1839 habitam, de qua mox dicemus. Vid. ibi ed. pr. p. 143--157, ed. alt. p. 88--97.

Solitus quotannis auspicandis lectionibus brevi allocutione audito-res compellare et ad studia sedulo persequenda hortari, a. 1834 dixit *de Josepho Scaligero*, eandemque orationem deinde, ut videtur,

1) *De nagedachtenis van Elias Annes Borger, plegtig gevierd, op den 20 December 1820, in naam der Leydsche Afdeeling van de Hollandsche Maat-schappij van Fraaije Kunsten en Wetenschappen, door J. H. VAN DER PALM en H. TOLLENS Cz. Te Leyden, bij D. du Mortier en Zoon, 1821. 8°. Palmii Orationem excepit Tollensii Carmen funebre.*

2) *M. Siegenbeek, Vergelijkende beschouwing van 't geen door de kweekelingen der Leidsche Hoogeschool, in de jaren 1672, 1815 en 1830 tot 1831, tot verdediging van het Vaderland verrigt is. Leid. 1831.*

J. Roemer, Gedenkschrift van den Uittogt — en van den Veldtogt der H. H. Studenten van de Hoogeschool te Leiden, enz. in 1830 en 1831. Leid. 1830, 31. 2 st.

Institutii regii Amstelodamensis sociis obtulit, quamquam eius in historia Classis tertiae nulla ne levissima quidem vestigia reperiri potuerunt. Hanc, nondum editam, nobis suppeditavit Societatis Leidensis literis patriis excolendis bibliotheca, eiusque edendi veniam a viris penes quos est administratio facile impetravimus. Dolendum vero, tripartitae divisionis, quam sibi proposuerat Peerlkampius, nonnisi primam partem de Scaligeri Leidam adventu et vita Leidensi absolutam esse, at vel sic tamen nec lectu iniucundam nec luce publica indignam, et brevi ipsius auctoris annotatione illustratam.

Magistratu Academico intra annum 1838 ad sequentis initium functus Peerlkampius, munere decedens die natali VIII Februarii 1839, ad dicendum sibi elegit argumentum vere patrium et cum Academiae historia arcte coniunctum. Dixit enim *de perpetua, quae Academiae Leidensi cum Gente Arausiaca* ¹⁾ *intercessit, necessitudine, spectata praecipue in studiis principum*. Hanc ipse Orationem, saepe et a multis rogatus, accedente annotatione historica, primum edidit Leidae, apud H. W. Hazenberg et socios, 1840, forma octava, repetitam anno sequenti in Annalium Academicorum a. 1838—1839 volumine, Hagae Comitum ex Typographia regia. Quemadmodum autem in Elogii Hemsterhusiani editione altera haud pauca olim innovaverat Ruhnkenius, ita quoque in repetita hac editione haud paucis in locis sua aut correxit aut mutavit Peerlkampius. Nos, ut

1) Pro *Arausiaca* praestat *Arausionensi*, a proprio tertiae declinationis nomine *Arausio*, in genit. *Arausionis*, unde *civitas* ac *ditio* sive *principatus*, itemque *princeps Arausionensis*. Ita Hugo Grotius in Annalium et Historiarum Belgicarum libris, et ipse Peerlkampius in Oratione auspicandis lectionibus a. 1831, horum Opusc. pag. 67, 72, 82, 84, 87, ibidemque pag. 76, *Arausionistae* (*les Orangistes*), sed in usu formae sibi non constitit. Praeterquam pag. 109, 115, 120, ubi exstat *Arausione*, ut in hac Oratione, ita in libello de vita Schimmelpennincki ubique utitur formis *Arausia* et *Arausiacus*, v. c. *princeps Arausiae* (pag. 3), *stirps* vel *domus Arausiaca* (pag. 4, 29, 44) *factio Arausiaca* et *Antiarusiaca* (pag. 72), cet. Minus etiam probandum *Auriacus*, quemadmodum Meursius libellum suum de Guilielmo I inscripsit *Guilielmus Auriacus*. Quodsi constaret, pro *Arausio* in usu quoque fuisse *Arausia*, inde recte ducerentur genitivus *Arausiae* et adiectiva *Arausiacus* et *Arausiensis*. Cf. Cellarii Geogr. Antiq. T. I. pag. 194.

quondam in Opusculis Ruhnkenianis fecimus, ita nunc in hac quoque iterata recensione repraesentanda prioris varietatem contextui subiecimus. Discant inde Latinitatis studiosi iuvenes, quantopere prioribus curis praestent posteriores. — Ex Annotatione vero, ne moles libri praeter modum excresceret, ea tantum excerpenda censuimus, quae ad dictorum intelligentiam proxime pertinere, nec sine ambiguitatis aut obscuritatis periculo desiderari posse videbantur.

Eiusdem anni mense Septembri, quo die Vexillum militum academicorum, qui anno 1830 et seq. castra obierant, in Senaculo reponendum erat, Rectoris Magnifici loco Prorector Peerlkampius publicam orationem habuit, Annalibus Academicis insertam, cuius quantum novimus exemplaria seorsum edita non exstant.

Pergimus ad *poetica*.

Peerlkampius an unquam *Carmina iuvenilia* ediderit, ut alicubi ¹⁾ relatum legimus, nobis quidem non constat. Nec praeter Carmina hoc volumine comprehensa quidquam ab eo publice editum novimus. In his sunt:

Carmina quinque pertinentia ad calamitatem Leidensem XII Ianuarii 1807, a Peerlkampio, adhuc Gymnasii Doccumensis Rectore, Groningae et Amstelodami apud Wouters et Numan edita. De qua calamitate, carmine a Bilderdykio celebrata et narratione vernacula a Siegenbeekio memoriae prodita ²⁾, operae pretium est legere quae duobus tribusve locis Latine retulit Wyttenbachius, cum data opera in epistola ad Sanctocrucium, primum edita a Mahnio in Vita Wyttenbachii pag. 184—188, tum brevius in epistolis ad Schutzium et Wolfium, Epist. Fascic. II. p. 32 sq. 37 sq.

Pro vitioso *crepere* in Carm. IV vs. 9 dedimus *coepere*, ac pro *Numinis viam*, ibid. vs. 38, *N. iram*, utrumque sensu ita postulante.

Paulo post rerum patriarum conversionem a dominatione Francica ad libertatem sub finem anni 1813, prodierunt sub nomine *Aristogitonis Frisii Carmina quinque dicata honori ac meritis* (sive potius, per ironiam, *infamiae ac facinoribus*) *Napoleonis Magni*, quae anno

1) *De Nederlandsche Spectator*, 15 April 1865, N°. 14, blad. 116 en vv.

2) *Leiden's Ramp*, door Mr. W. BILDERDIJK en M. SIEGENBEEK, met afb. Amsterdam, J. Allart en J. Ruis, 1808.

sequenti pro suis agnovit Peerlkampius suoque nomine edidit Groningae apud M. J. van Bolhuis, 1814.

Exemplar, quo typographus ad describendum usus est, fuit olim peritissimi poeseos Latinae iudicis, viri doctissimi Henrici van Royen, qui sua manu titulo adscripsit *aurea sane* et hic illic pauca in margine annotavit.

Quod sequitur carmen, *Guilielmo Belgurum Regi* inscriptum, praemittitur Const. Hugonii de vita propria sermonum inter liberos libris, a Peerlkampio primum editis, cum Loosjesii versione vernacula, Harlemi a. 1817. Ac, ne de Latine reddito utroque Borgeri carmine, alterius *ad Filium* initio, altero *ad Rhenum*, eius Laudationi a. 1821 adiectis, dicamus, alterum brevius carmen, *G. C. B. Suringario* gratulandi causa dicatum, accedit huius Dissertationi inaugrali medicae de Nisu formativo, in Academia Lugduno-Batava pro gradu Doctoratus publice defensae a. 1824.

Carmen *in natalem quinquagesimum et ducesimum Academiae Lugduno-Batavae* una cum Sandifortii Oratione prodiit in Actis Saecularibus, Lugduni Batavorum apud Luchtmansios editis a. 1825. In patriam linguam metricè convertit J. C. van Varen, Harlemi ex libraria Loosjes, eodem anno.

Orta sub finem mensis Augusti anno 1830 seditione Belgica, eamque deinceps secutis varii generis inimicitii ac turbis, post memorabile Speykii facinus mense Februario 1831, quum ageretur de ponenda in eius memoriam turri navigantibus admonendis destinata, prodierunt Amstelodami ex officina Beyerinck annis 1831 et 1832 duo deinceps *Carmina elegiaca dicata Collegio Spei Nauticae in stipem Turri Speykanae*. Quae carmina, quamquam suppresso poetae nomine, neminem alium quam Peerlkampium auctorem habere una et consentiens vox eorum omnium, penes quos ea in re fas et ius loquendi erat, pronunciavit, nec ille ipse, quem vulgo auctorem haberi constaret, negavit. Ista igitur duo Carmina nequaquam dubitavimus Peerlkampii nomini adscribere et inter eius specimina poetica referre. Exemplari suo hic illic idem, quem supra nominavimus, vir doctiss. Van Royen pauca adscripsit.

Edita priore horum Carminum parte, *Auctorem anonymum* carmine Latino celebravit *Henr. Weytingh*, Rector Gymnasii Campensis, *Campis ad Isalum*, d. 4 Iulii 1831, edito in Nuntio Literario (*Algem. Konst-*

en *Letterbode*) eiusdem anni, vol. II. pag. 68 sq. Brevi post prodierunt eiusdem Weytinghii *Elegiae duae ad V. Cl. P. H. Peerlkamp de tumultu Belgico*, et *in victoriam de Belgis reportatam. Amstelod. apud H. Weytingh*, 1831, 16 pag. 8°. Carminum Peerlkampii laudes certatim praedicarunt *Ephemerides literariae*.

Iuveni praestantissimo *Matthiae de Vries*, Hooftii fabulam scenicam, ex Plauti *Aulularia* sub nomine *Warenar* in patrium sermonem conversam, denuo edenti et commentanti, a. 1843, itidem hoc iuvenilis doctrinae et industriae specimen amico carmine gratulatus est Peerlkampius.

Postremum locum tenet ineditum Senis Peerlkampii ad Senem *Abrahamum de Vries* Carmen, missum Hilversumo anno 1857, *Senex* inscriptum, nobiscum ab huius filio Matthia, Peerlkampii quondam discipulo, nunc in Academia Leidensi professore, benevole communicatum.

IO. THEOD. BERGMAN.
